

lorem colicum, & tum solvebatur alvus,
prodiitque multum gluten, & materies
fimillima ei, quæ sputis rejiciebatur.

Ægra inde se affici & debilitari con-
questa est, unde fuasi, ut ab usu harum
pilularum per aliquot dies cessaret.

Observavi autem tunc, appetitum
diminui, & post paucos dies pectus
erat anxium, nec debito tempore
prodiit alvus.

Rogavit igitur, ei iterum pilulas ex-
hiberem.

Sumit nunc per tres septimanas
quotidie tria grana, & appetit, bene
dormit, excretiones rite procedunt,
& restaurantur vires.

EXPERIMENTUM VIII.

Homo, 30. annor. ex ira & su-
bito terrore adeo melancholi-

cus

cus & meticulosus fiebat, ut sese absconderit in omni angulo, ut vel muscas volentes timuerit, fugerit.

Erat simul instar muti, nec enim bonis promissis, nec severis verberum minis ex eo verbum elici potuit.

Delebatur appetitus, aberat omnis somnus, vires minuebantur, homo demens, ad nil prorsus aptus, bruto minus rationis habere videbatur.

Venæ sectiones, & tentata plurima remedia malum potius auxerunt.

Nec juvabant animi diversiones, quas olim plurimum amabat, verberum minæ tantam induxerunt pusila, nimitatem, ut convulsiones, aut aliud malum fuisset timendum.

Dato autem extracto Hyosciami statim secunda nocte cœpit tranquille dor-

dormire, oculi & facies longe sereniores erant.

Intra octiduum metus multum minuebatur, etenim nec amplius cubilis angulos quæsivit, ut se absconderet, nec fugit hominum consortium, nondum tamen verbulum loquebatur.

Tertia septimana jam cœpit iterum suos labores, qui magnam adtentio- nem requirebant, apte peragere.

Circa finem mensis ad rogata re- spondit, solus tamen nemini adhuc loquebatur.

Secundo mense cœpit jocari, loqui, & jam nunc videtur integre restitu- tus.

In principio ter quotidie dabatur granum unum extracti hyosciami, quarto die dabantur sex grana, sic

D omni

omni tertio vel quarto die augebatur
dosis, donec assumpsisset quotidie gra-
na viginti.

Sequentes casus doctissimus Domi-
nus Colin in nostro nosocomio obser-
vavit, scriptasque dedit morbi hi-
storias.

EXPERIMENTUM IX.

Anna Maria Kaltenekerin 30. an-
nor. acerbis verbis & minis die
secunda Septembris furti accusabatur.

Unde ita turbata fuit, ut in conti-
nuo delirio, circa res terrificas ver-
sante, jacuerit.

Nec ex hoc delirio rediit, licet in-
nocens fuerit declarata, & falsus ac-
cusator petierit delicti veniam.

Un-